



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quomodo tollit peccata mundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Veteribus
codicibus
res decidit
da.

Mihi codicum veterum fides potius videtur, quos
consensu habere Bethaniam fatentur illi, qui nouam
lectionem sequuntur. Nec alud mouet, quam quod
duæ Bethaniæ concedendæ essent, quod cum in plu-
ribus contingat, non video cur hoc loco timeamus:
Præsertim cum illi, qui aliter sentiunt, Bethabaram
pro Bethania sine auctore ponant.

VERSUS 29.

Altera die vidit Ioannes Iesum ve-
nientem ad se, & ait: Ecce agnus
Dei, ecce qui tollit peccatum mun-
di.

QUESTIO I.

Cur agnum Dei vocet tollentem peccata
mundi?

Testimoniū
Christo sa-
pius dedit
Ioannes.

§. 1. Altera iam die postquam legatio Iudæorum
audita & remissa est, vidit Ioannes Iesum ven-
ientem, & cælesti cum præconio decorauit & dixit:
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quod
testimonium Ioannes Christo sapius dedit; Nam et-
iam ante baptismum sic Christum appellauit Matth.
3. 16. & hic vers. 36. eodem plane modo. Hic autem
dies non est quo baptizatus est Dominus, vt Origen.
& Opratus Mileuitanus lib. 4. contra Parm. existi-
mauit, neque etiam ille, quo ex deserto redijt; Nam
quarto post die nuptijs interest, in Galilæa, idque
cum discipulis suis, quos ex deserto regressus, non si-
mul, sed aliquo intervallo collegit.

§. 2. Agnus autem Dei, non hominum, agnus im-
maculatus, cuius typus ille erat, de quo Moyses Nu-
mer. 28. versic. 3. Hac sunt sacrificia quæ offerre debetis,
Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum
sempiternum: vnum offeretis mane, & alterum ad vesperum.
Exodi 12. 3. & 29. 39. Iuge sacrificium mane & vespere
offerri solitum, cuius sanguis emundare à peccatis
non poterat, agnum illum figurabat, agnum Dei, a-
gnum cælestem, adeoque Deum, agnum offeren-
dum Deo, ad consummationem sanctorum. Agnum
Ioannes inter Euangelistas Christum solus appellat;
raro sic vocatur ab alijs Apostolis, Petrus 1. Epist. 1. 19.
precioso sanguine quali agni immaculati nos redem-
ptos ait. In Apocalypsi Euangelistæ sub figura agni
sapius apparet: agnus enim est qui sigillum aperit, qui
impulsus irascitur, cuius nuptiæ venerunt. Quod si phi-
losophari lubeat, plurima quæ agno pariter & Christo
conueniant colligere proeliue fuerit. Et passim in
homiljs egregiæ exstant comparationes. Mihi du-
bium non est, mansuetudinis & tantæ patientiæ virtutem
in Christo præcipue spectari à Propheta Isaiæ, &
Baptistæ. Fuit olim Fabius ille, qui Romanam cun-
ctando restituit rem ex modestia, facilitate, & miti-
genio dictus ouicula, vt in eius vita Plutarchus. Iu-
nium Syllanum Caligula pecudem auream appella-
bat, Dio lib. 56. virtutem enim & grauitatem homo
nequissimus exprobrabat. Alioqui etiam stolidi
dicuntur, quia scilicet homines simplices, ac
innocentes pro fatuis habentur. Diogenes diuitem
Indoicum vocabat χρυσόμαλλον, quod est aurei vellereis,
alij legant χρυσομαλον, auream ouem, quæ omnia in
Christum iactata sunt, & Christianos, quos tanquam
oues misit in medio luporum, quos tanquam oues ad
dexteram constituit.

Christo &
agno multa
similia.

Agnus mā-
suetudini
symbolum.

§. 3. Agnum Dei vocat Christum, quia sic Isaiæ 53.
7. nominatur, Sicut ouis ad occisionem ducetur, & quasi
agnus coram tondeute se obmutescet, & non aperiet os suum.
Et Ierem. vers. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui por-
tatur ad victimam.

Hic igitur etiam prophetiæ insitit, & quem pro-
pheta agnum promisit, ipse manu ostendit, vt habet
Nonnus Christianus Poeta. Vide Cyprianum Te-
stimonium lib. 2. ad Quirinum cap. 15. Quod ipse sit dicitur
ouis, & agnus, qui occidi haberet: atque hoc est
quod aiunt articulum Oion modo Emphaseos, sed
etiam relationis vim habere, perinde enim est ac si di-
cat hunc esse agnum à Prophetis prædictum. Sic A-
thanasius orat. contra omnes hæreses. Cum aduenisset
ad nos iste ita pronuntiatus, eumque ad se accedere con-
spexisset Baptista Ioannes, adimplens quod prædictum fuit ad Esaiam
propheta, in hac verba erupit: Ecce agnus Dei, qui tollit pec-
cata mundi: vides confirmari Prophetiam vocem à Baptista.
Adeo vero vlitatum fuit oues, aut agnos offerre,
vt nulla apud gentes crebrior hostia. Virg. lib. 5. offer-
tur rempstatibus agnus. Et apud Aristophanem in Ra-
guanis.

Ἄγν' ἀγνα μέλαινα πᾶδες ἐξενέγκαι
Τυφῶς γὰρ ἐκείνους ἄρα μὲν ἀγνῶν.

Agnus, Agnum nigrum pueri offerre,
Errare enim typho paratus est.

Sic Latinus rex sollicitus de filia nuptijs, Velleribus
incubat ouium cæsarum.

QUESTIO II.

Quomodo tollit peccata mundi?

§. 1. ὁ αἰετον, qui iam præsens tollit; iam enim my-
sterium redemptionis operabatur, & multorum re-
miserat peccata. Quomodo de virtute & potestate tol-
lendorum peccatorum interpretari malint, vtrumque
coniungendum censeo, esse agnum qui absolutissi-
mam peccatorum tollendorum potestatem iam re-
ipsa exerat, sanctitatem conferat, quod nulla legis vi-
ctima præstare potuit. Græca exemplaria hodierna
fere habent peccatorum singulari numero. Ita legit Cy-
prius lib. de duplici martyrio. Ambr. l. 3. de fide, c. 5.
Augustin. l. 12. contra Faustum c. 30. Theophyl. etiam.
Cyprianus tamen lib. 2. contra Iudæos cap. 15. & de
Baptismo legit in plurali. Chrysofom. homil. 16. imo
etiam Origenes in 24. Num. Ecce in Græcis, Syris, &
multis latinis libris non reperitur, in correctis tamen
relictum est: itaque multa & meliora exemplaria re-
petitionem habuerunt, parui momenti est, quare in
medio relinquo.

Hoc valde repetendum; agnum hunc natura sua,
sine, & officio esse ἀλεξικακον, qui omnia mala auer-
tat, omne mundi peccatum deleat, iamque ipso tem-
pore cum Ioanne loqueretur, cum baptizaret, cum
magna turba penitentiam ageret, agnus in cordibus
operabatur, & dolentium peccata auferbat.

§. 2. Et primum quidem ipse rem serio æstimans
admiratur esse agnum qui tollat peccata mundi: Eum
enim esse, qui saluum faciat populum suum à pecca-
tis eorum, se vero tantum vocem esse, & monitorem
Saluatoris, quo quidem testimonio pridianam
confessionem mirifice confirmat. Deinde finem cui
Messias aduenit ostendit, non vt regnum tempora-
le institueret, sed peccata mundi tolleret, quæ lucra
apportentur, quæ voluptatum blandimenta, quos
honores mundus inquit. Legati pontificum ad Mes-
siam velut regem futurum proficiscuntur, delectati ipsi
de multis, commodis quisque suis inhiabat, & gaur-
dia sibi de nouo propheta spondebant; de remissio-
ne peccatorum ob quæ iugo Romanorum pressi en-
uabantur nullam cogitationem suscipiebant. at Ioan-
nes mala & malorum causam intuitus, peccata scilicet
ad ea tollenda Messiam venisse pronunciat. Hoc
vnicum & solidum esse beneficium, abs quo illo mun-
do stare non posse.

§. 3. Non tollit peccata relinquendo, & toleran-
do, so-

ho, solum non imputando, vt Calvinus impudic docet. Mundum enim liberat à peccato, non iudic mundum esse cum adhuc in medijs sordibus haeret. Ioannes Emphatico vsus est *ἀγνός* tollens, auferens, est enim sursum tollere, de medio tollere, vt etiam Syrus *כָּפַר* qui tollit, qui gerit. Quod si & preterita & praesentia non imputat, sed tamen totam scditatem relinquit, etiam eorum qui in medio sunt peccandi feruore, non tollit peccata, sed peccandi praebet, & licentiam, & irritamenta scelerum. Perinde enim est ac diceret. Ecce agnus Dei, qui nullum peccatum tollit à vobis, sed nullum vobis imputat, qui vos plenos omni iniquitate, & spurcitijs iustos aestimat.

Itaque Bullingerus Zwinglianus nondum intima eorum probans, Erasmi interpretationem sequitur.

[Annotandum vero illud in primis videtur, quod & Erasmus Roterodamus annotauit, à quo maculaui, id est, id est, Tollit, dictum esse, & non remittit: idque dupliciter ob causam. Vel quia penitus tollit, id est, ad plenum expiat, nulla labe aut culpa relicta, quae vlla alia expurgeretur ratione. Vel quia peccata nostra in se recipit. Tollimus enim onera quae nobis ipsis imponimus. Tollimus quae natura nobis desunt, in-terim vt nostra recipimus. Certe Paulus, Christus, inquit, qui peccatum non fecit, factus est pro nobis peccatum. Denique Isaias 53. cap. quò Ioannem allusisse omnino arbitror, dicit, Profecto ipse labores nostros tulit. Vel, Et tamen infirmitates nostras; ipse portauit: & dolores nostros ipse baiulauit. Nos autem existimabamus eum ipsum tactum percussione Dei (plaga) & afflictum, ipse vero vulneratus est propter transgressiones nostras, & attritus est propter iniquitates nostras, &c.] Nondum impia mysteria prodiderant passim posterorum illud impudentiae seruatum est. Tollit, inquit Arctius, non vt non sit in nobis iam superstes peccatum, sed vt non damnet, item vt non regnet. Deinde peccatum simpliciter tollit, hoc est, colluuiem omnium malorum, originale, actuale etiam, vt commissum, non damnet sanctos, iners est, hebes redditum est.] Ecce tibi in Calvinianis est originale, actuale, omnium malorum colluuijs, idololatria, infidelitas, adulteria, homicidia, sed inertia sunt, hebetia sunt illa scelera, illos non damnant, alios condemnant. O fidem in lupanaribus prostitutam. Beza alioqui scripturarum vbicunque liber in suam haereticam adulterator, hunc locum corrumpere ausus non est, sed tolli peccata concedit: [Quoniam igitur externo baptisate, in quo occupatus erat, Ioannes cum haec diceret, abluuntur corporis sordes, vocabulo Agni & Tollendi sacrificium, cuius sanguis, in deletio chirographo expiamur ab omnibus peccatis, ac etiam naturalis illius labijs ac maculae sublatio, designatur, qua fit vt Christo per internu baptismum insitis nobis, vetus homo sensim in nobis moriatur, & nouus adolescat, donec vltimo illo die plenam immortalitate induamur. Illud ergo ad iustificationem imputatam, hoc autem ad sanctificationem inchoatam pertinet, in qua, velut membra, distribuere licet omne Christi in nos collatum beneficium. Itaque iis non assentior qui peccatum accipiunt angustius pro peccati poena, & *ἀγνός* interpretantur in se veluti pondus arto lere & recipere, sicut dicit Petrus Christum portasse omnia nostra peccata super lignum.] Nam vere quidem hoc dicitur: sed ita duntaxat significatur expiationis beneficium.

§. 4. [Vnus iniqui Caluiniani Christus tollit peccata mundi, omnes ergo satisfactiones concidunt, omnium sanctorum intercessiones. Ne Baptista quidem peccata tollebat.]

Respondeo. Nulla satisfactio tolli vllm pecca-

tum. Nulla enim est satisfactio nisi à iustificato, nisi ab amico. Nemo peccator pro peccato suo satisfacere vnquam potuit. Peccatum enim agnus ille tulit. satisfactio ad tollendam minuendamue temporariam poenam à Deo instituta est. Christus omnia tollit, nec tamen sine nostra fide, poenitentia, caritate. Quae de realibi satis dictum est, sunt enim causae sibi mutuo subordinatae.

§. 5. Vrgent tamen: [Sacramentorum ergo, vt et Baptismi, aliorum, nulla est in remissione peccatorum potestas. Quod enim solus agnus tollit, non tollit Baptismus.]

Respondeo. Efficaciam sacramentorum sententia Baptista non tolli, sed confirmari. Agnus enim ipse peccatorum sublator, baptizari nos iussit, atque mundari lauacro regenerationis. Agnus hoc agit, vt causa prima princeps, aeterna, sacramentorum opera instrumentaria vitur: non indigens alieno adiutorio, sed nostram ruditaem corporeo symbolo erudit, & torporem excitat. Beza quidem in resp. ad acta Colloq. Mompelgartenses anathesi 5. negat sacramenta signa nuda esse: [Neque nos sacramenta doemus nuda esse signa, sed externa tamen actioni negamus tribuendum esse, quod est vnus Spiritus sancti. Sicut ut à Ioanne, Matth. 3. ver. 11. & à P. 1. Ep. 3. v. 2. ista non separantur quidem, sed distinguuntur: dicente etiam Apostolo de vniuerso Ministerio, eum qui plantat & rigat nihil esse.] Sed tamen eo delabitur, vt nuda signa esse velit. [Aliquam, inquit, latentem virtutem, aliam aquam (licet sacramentali) attribuire, quam sacramentalis significationis, nunquam (quod ad Deum promittentem attinet) vanam & inanis, existimamus manifestum esse idololatriam, quia (quod ne ipsorum quidem angelorum est, nempe remittendorum peccatorum & renouandi, cordis hominum vis,) ad aquam, quantumuis sacramentali, transfertur.]

Turpis omnino error, non enim dicimus aquae vires inditas, quibus regeneret, sed à Deo ordinatum Baptisum, vt virtute Spiritus sancti baptizati mudentur, aqua est organum spiritus, seu physicum, seu morale, ad hunc producendum effectum, quemadmodum spiritum Christi cum puluere commistum instrumentum quo oculus caeci aperuit: sicut igitur luto tribuitur illa actio, sic & *τὸ πᾶν νόμισμα* seu aspersio. At Beza negat esse subordinata ista, aquam & Baptizationem & Dei actionem gratiam conferentis, in sola enim representatione, & significatione vim baptisimi consistere.

Denique manifeste ipse se prodit, loco citato. Vbi negat posse vt instrumentis in hoc actionum genere.

Blasphemia manifesta est. Negat enim Deum posse creaturae suae opera ad aliquid in alia creatura faciendum vt: negat inquam potentiam obedientialem creaturae, quod omnipotenti maiestati repugnat. Diuina enim omnipotentia quemadmodum igne ad calefaciendum, sole ad illuminandum vitur, naturae illius indita efficacia: sic qualibet creatura tanquam instrumento suae omnipotentiae vti potest, ad efficientiam rerum quae longe naturas rerum superant. Igne enim ad frige faciendum vti potest, & glacie ad calefaciendum. Luto ad restitutionem visus, ablutione ad gratiam, aliamue in anima producendam qualitatem. Nec ideo Deus non operatur, sed vel maxime id agit, ad quod agendum creaturam supra naturae propriae vires erigit. Hinc Aug. dixit l. 19. c. 11. contra Faustum. Sacramentorum vis inenarrabiliter valet plurimum. Cyrillus Alex. lib. 7. in Ioan. c. 47. Quemadmodum viribus ignis intensis aqua calefacta non aliter vitur, quam ipse ignis, sic Spiritus sancti opera-

operatione aqua, qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad diuinam virtutem, & potentiam. Vide Scholasticos 3. p. q. 62. Kemnit. in examine canon. 7. & 8. feil. 7. Tridentini vocat causas gratiae instrumentales. Quocirca grauius in eum Beza inuehitur Responione ad acta Mompelgartensia. Sociorum enim errores fucare quasi illito pigmento, non detegere & arguere queritur. At Kemnitius sane multorum stultitias rejicit, in can. 5. de baptismo. [Quidam sentiunt ipsis externis sacramentorum elementis, per verbum externum conferri virtutem quandam supernaturalem, quae non sit relatio Dei, seu ordinatio quod per sacramenta, tanquam per causas instrumentales, Deus efficaciam spiritus vel conferre gratiam, sed quae sit virtus spiritualis absolute haerens in corporalibus sacramentorum elementis per quam influant & agant in animam, siue effectiue, siue dispositiue.]

Alij constituerunt in ipsis elementis gratiam contineri essentialiter, sicut medicina in pixide.
 Alij sacramenta volunt esse tantum signa & notas Christianae societatis, quibus a paganis discernamur, & ad mutua officia excitemur, & obstringamur.
 Alij volunt tantum esse allegorias & significationes Christianae mortificationis.
 Alij esse tantum signa gratiae, iam antea & extra verbum sacramentorum collatae & exhibitae. His erroribus opponuntur haec testimonia ad Titum 3. laudantium regenerationis, &c.]

Verum haec alibi copiosius. Nunc hoc lectori considerandum relinquo, ut videat quam harum diuinam omnipotentiae relinquat, qui negat eam ad effectus suos posse uti instrumentis alioqui non idoneis, imo etiam contrariis. Deus autem non modo omnia potest, sed etiam ad actiones suas usurpare potest instrumenta quae ex se nihil possunt. Quod dicere non est idololatria, sed negare est in Dei potentiam iniuriosa temeritas.

Illyricus sibi contrarius est, tollere, & tegere dicit; sublata sic docet: [Aeneas tollo duplicem habet significationem, tum in se recipiendi, ferendique aut leuandi, tum etiam perdendi, quam ambiguitatem etiam illud Scepticum epigramma in Nerone dictum exprimit:]

Quis neget Aeneas magni de stirpe Neronem?
 Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Sic tollit Christus peccata (ut percipuitatis causa hisce ferme ineptis aut etiam ridiculis sexemplis viamur) gestando ea sibi impurata in corpore suo, dum reatum poenaeque pro eis patitur, ut Aeneas patrem: & tollit ea etiam perdendo & abolendo, sicut Nero matrem interficiendo. Non est dubium Baptistam hoc suum dictum sumpsisse ex Isaia 53. Vbi ista ipsa peccati portatio copiose describitur, vtrique Propheta duobus verbis Nasa & Sabal, prius vtramque notionem habet, Sabal tantum molestam laboriosamque gestationem.]

VERSVS 34.

Et ego vidi & testimonium perhibui quia hic est filius Dei.

QVÆSTIO I.

Quod testimonium Ioannis?

§. 1. Ioannes crebro & eisdem & alijs auditoribus aduenientibus de Christo testificatur, ea etiam causa Christus accedit, ut eo teste facilius detur Evangelij progressus: solent enim in rebus nouis &

magnis identidem testimonium postulare. Itaque Ioannes etiam variis modis illis Christum demonstrat, ut describit, nempe esse agnum tollentem peccata mundi, super eum descendisse Spiritum sanctum & mansisse, hic in memoriam reuocat auditoribus, se testatum esse, quod sit filius, quod vbi se erit, non est scriptum, fecisse tamen certum est ipso testante, & apud eos qui audierant. Saepius id inculcasse, & prophetis ostendisse, dubitare non licet; praesertim eo tempore, quo legationem Iudaeorum ex cepit, tum enim publice fidem suam professus est, & doctores Israelis instruxit.

Quamuis nonnulli praeteritum pro praesenti positum arbitrentur. Cyrillus Alexandrinus dum ista exponit.

Hanc analogiam alij etiam probant, ita Syrus: *נאסר נאסר* nashareh, potest etiam intelligi de officio, *testis sum constitutus.*

VERSVS 37.

Et audierunt eum discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum.

QVÆSTIO I.

Qui primum vocati?

§. 1. Christus iam duos Ioannis testimonio permotos adducit. Andream & alium, quem Euangelista non nominat. Ioannis autem discipulos esse constat, quod Syrus explicat: *תלמידי תלמידי* *thlami dhi, discipuli eius.* Nullo autem hortatu, sed solo aduocato sunt, ut S. Chrysostomus notat, ita etiam Cyrillus & Beda, non de spectu praepetoris, sed electio e melioris. Institutum quippe Ioannis erat, discipulos non retinere, sed ad Christum dirigere. Andreas igitur, & socius vocati sunt, & ille quidem ad Apostolatam, hic vero ut tantummodo discipulus esset.

§. 2. Magistrum appellant vers. 8. ut proficentur in posterum se eius dictis audientes fore, viam salutis ab eo velle discere. De sola habitatione inquirunt, caetera opportunius cognituri: Magistrum autem appellant nondum experientia illius doctrinae, sed Ioannis testimonio. Messiam autem omnia annuntiatorum sciebant, ut cap. 4. 25. Samaritana mulier proficetur.

Rabbi magister meus, vel dominus meus, de hominibus in magistratu, aut dignitate constitutus dicebatur, peculiari autem modo diuinum scripturarum interpretibus solebat attribui. Ioannes graece interpretatur *διδασκαλος*. Syrus habet *רבי* Rabban *magister noster*, & interpretamentum omisit. Discipuli autem hebraice loquuntur, cum dicunt Rhabbi, non Syriace, quod ea vox usitata etiam Syris.

§. 3. Manserunt vers. 39. autem apud eum illa die, partem doctrinae audientes; erat autem hora decima, hoc est, duae horae ad occasum solis supererant. Sed quae fuerit horarum ratio apud Iudaeos, non omnino certum, nisi quod diei sint horae duodecim, nec magna varietas fuisse horarum videtur, cum non admodum magna sit dierum diuersitas. Christus vsus est ea occasione, ut instrueret secum ea die permanentes.

Noctem etiam totam cum eo manserunt, sine dubio partim precibus, partim Christo audiendo impendentes.

